

CAS. III. Habet Colonus in suo agro Columbarium, ubi abundantem co-lumbas suas pascit, hac tamen intentione, ut alienæ columbae alterius Columbarium veniant ad suum, ac ibi nidificant, prout de facto contin-
git. Q. an possit id licite facere; an vero teneatur restituere pullos ac-
ceptos ex alienis columbis?

Resp. Intentionem Colonus revera illicitam esse, immo & actionem ipsam ut tali intentione directam? hanc tamen non esse adeo malam, ut pro-
pterea Colonus teneatur restituere pullos acceptos ex alienis columbis.
Ratio primæ partis facile colligitur ex eo, quod sit intentio damnifi-
candi proximum; cum eo tendat, ut alienæ Columbae alterius colum-
barii veniant ad suum, ac ibi nidificant, prout de facto contingere ex-
primunt casus. Ratio secundæ partis inferitur ex mox allata probatione
primæ; nam semel ac ideo abundanter pascit Columbas suas tali direc-
ta intentione, ac fine, jam malitia finis ac intentionis inficit actionem
ipsum; nam bonum ex integra causa, malum vero ex quocumque de-
fectu, prout fert vetus axioma. Ratio denique tertiae partis haec est,
quia, præscindendo ab illo malo fine, ac prava intentione, utitur jure
suo si abundanter suas Columbas pascit; non enim malum est, optime
suas Columbas pascere: neque alienas Columbas per hoc compellit ve-
nire ad suum Columbarium; & si adveniunt, hoc ideo est, quia non
ita bene, & forte admodum parce eidem præbetur cibus in aliis Co-
lumbariis; unde fit, quod advenientes tandem morentur, ubi bene tra-
stantur, ut consuetudinem amittant redeundi ad primum Columbarium,
sicque tranleant in dominium, ac proprietatem Domini secundi Colum-
barii. Intantum namque Dominus prioris Columbarii jam erat earum
Dominus, in quantum, iis ablata naturali libertate, illas in suam cu-
fodiad coheruit, ac detinebat: (animalia namque, cum sua gaudent
naturali libertate, sunt primi occupantis. Inst. de rer. divil.) Statim
ac autem ab uno ad aliud Columbarium se transtulerunt, ibique tamdiu
moratae sunt, ut consuetudinem amiserint alio redeundi, pristinam cen-
sentur recuperare libertatem; (Inst. pariter de rer. divil.) sicque eva-
dunt sub custodia & proprietate Domini secundi Columbarii, qui pro-
pterea, si ibi nidificant, non tenetur restituere pullos acceptos ex talibus Columbis, alias alienis, nunc tamen suis. Nec obstat illa prava in-
tentio, necnon illa occasio eis data adveniendi; nam transmissio, quod utraque mala fuerit, ideoque illicitam efficerit actionem; tamen quia effective non est contra iustitiam commutativam, sed solum contra chari-
tatem, non obligat restituere pullos acceptos ex talibus columbis; ut
videre est apud Azorium l. suprac. cap. 16. v. quinta difficultas, Bar-
tholomaeum a S. Fausto in Spec. Confess. disp. 30. quest. 18. num. 5.
Bonacinam, & alios.